



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Quartus. Nulla soleitas interruptione molestatur amplius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

*Nulla sollicitatis interruptione molestatur amplius.*

## ARTICVLVS QVARTVS.

**N**on a abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum. ac si diceret, ô pia anima, pax, & gaudium in Spiritu Sancto, quibus tam abundanter perfusa es, aeternæ gloriæ securitatem tibi repræsentant; in eo quod in omni tuo habere, & viuere videatur hanc felicissimam Transformationis abundantiam, nullis vnquam temporibus defuturam. cuius quidem securitatis infallibilitas in cælo perfecti gaudij ratio est. si enim, vel vnquam finienda foret, in Nunc æterno nõ possent Sancti Dei tã purè gaudere quin simultaneè etiam ob deficientiam quãdoque futuram, contristarentur. quia ergò gratia Dei effudit in te spiritum suum, non abscondit Deus faciem suam amplius; vt scilicet interruptiones sollicitatis proprii spiritus, seu diuinæ fructio- nis carentiam subeas, eiusque molestia afficiaris; pro vt hucusque in omnibus statibus contingebat: in quibus etiam non tam habebatur quod deerat, quam quod appeteretur, id quod non ex toto; sed tantum ex parte frui erat. illius enim quod quis absolutè nondum habet possidet, & ad libitum non vitur, non datur plena, & articulata fructio; sed op- tatiua; & ad aliud tendens, appetensque fertur, & fruitur, non autem, vt habens,

possidens, & vtens deliciatur.

Licet ergò fluminis impetus latificet ciuitatem Dei, & in pia anima sapientia, sapidaue scientia attingat vndique pro- pter suam mundiciam, ita vt omnia sint bona valdè; in exercitio tamen actus, & quando mentali negotio vacandum erit, oportet vt omne suum in Deo vitaliter habere, & viuere pro minimo, im- perfecto, & præambulo accipiat, vt su- per omnem suam felicitatem, maiorem amplitudinem subtiliori visu conspiciat in eoque aspectu omnia quæ sunt, & quæ non sunt, deserat, vsque ad con- ceptum Dei absolutum, seu entis perfe- cti; vt deindè ad amoris excessum, tran- seat: quot hoc loco absque singulari con- natu, & ex solo intensioris amoris pro- gressu, sæpè contingit. cæterum hæc nõ tantum possideri securè, sed etiam indi- es augeri, consequenter, explicamus.

*Magis ac magis splendoribus spiritus di- uini illustratur.*

## ARTICVLVS QVINTVS.

**N**os b omnes reuelata facie, glo- riam Domini speculantes, in ean- dem imaginem transformamur à clari- tate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. ac si diceret, ô pia anima, pro- fundissima illa radicatio in charitate, quæ iam non vti prius in statu priuatio- nis velut in carbone, rutilabat, & in sta- tu vnionis tanquam in flamma lucebat; sed tanquam ignis in propria sphæra e- minen-

G g 3

minen-

a Ezech. 39. b 2. Cor. 3.